

scientiam: Sicut ostendunt exempla *Aaronis*, facientis vitulos aureos, & *Davidis*, committentis adulterium & homicidium contra conscientiam. *Hec ille ibi rectè quidem.*

85. Sed p. 778. glossam adducit hanc, quòd Aaron, David, Petrus, etsi graviter peccarint, non tamen lapsi sint sine lucta Spiritus & carnis, *nec toto animo ac plenâ voluntate, nec ex destinata malitia, sed ex infirmitate.* Idem glaucoma nobis objectat *Zanchius* in *Miscellan.* p. 69. 175. &c, *Contra-remonstrantes* in *Collat. Hagenli* p. 395. & *Pareus* in *Epist. ad Roman.* p. 587. &c.

86. At verò juxta censuram Spiritus S. *Peccatum regnans in nobis* regnat tùm nostra *inobediencia*, obedientiâ & assensu, conjuncto cum peccati conceptione & machinatione, Rom. 6. v. 12. Jacob. 1. vers. 15. tùm ipsa completa *patratione*, Rom. 6. v. 13. & Gal. 5. v. 16. Quando igitur renati in peccata sic *consentiunt*, eaque *perficiunt*, tùm peccata regnantia committunt: licet *cum in gradu intensiore & malitiosiore illa designant, gravius quoque & atrocius eadem exasperent.*

87. Hæc jam non latius probo; remitto enim Calvinianos, præmemorata hanc glaucomam nostris oculis obducere studentes, ad *Richardum Anglum* in *Diatribâ* c. 21. ubi istas illorum strophas diluit. Pag. 63. ait: *Miselli illi peccatum regnans ineptè definiunt, & quo modo nulli veterum Theologorum ne per somnium quidem, in mentem unquam venit &c.* Et p. 65. *Adversariorum, inquit, doctrina ex Libertinorum Scholâ profluxit. Illi enim, teste Calvino c. 18. non se, sed asinum suum peccatum admittere ructabant, quoties quid flagitii patrassent &c.* Item: *Et quid aliud docuerunt, inquit, qui anno clo cccLXV. Parisiis combusti sunt, quando agebant, peccata mortalia, ut adulteria, stupra, homicidia &c. non esse mortalia peccata, si in caritate fierent, hoc est, ut adversariorum verbis dicam, si fiant ab electis justificatis &c?* Consultant Calviniani reliqua, quæ *Anglus* iste ibi habet, quibus rectius hinc edoceri possunt, & conferant *Fundamentalem Deductionem Marpurgensem*, cap. 2. pag. 36. &c.

88. Plura argumenta *abstractiva* jam prætereo, ut *contraria* argumenta *Zanchii*, quæ habet in *Miscellan.* p. 284. 285. &c, & p. 329. &